De B. Margaretha. Prætermissa ad 27 Augusti

P. Chifflet

95

B. Margarita

Palatina Rheni, Boiariæ Princeps, Roberti Bauari, Imp. F. Caroli II. Ducis Lotharingiæ Coniunx.

Margarita, Ruperto Palatino Rheni Principe Boiorum, Imperatore, orta, auo Ruperto paruo, proauo Adolpho, abauo Rudolpho, a quo Palatini Rheni, proxima, et antiqua necessitudine Boiorum Principibus iuncti, genus ducunt, atauo Ludouico Seuero, patre Rudolphi, et Ludouici Imperatoris, à quo nostrates Principes, qui hodie Boiis Imperant, descendunt. Ita Margaretha, rectâ serie ab Ludouico atauo communi patre Palatinorum Rheni et Boiariæ Ducum descendit. Hæc Carolo Lotharingiæ Principi, quem secundum nominant, nupsit, Ioanne patre, auo Rudolpho, proauo Friderico III. abauo Theobaldo II. atauo Friderico II. Ducibus Lotharingiæ et tetrarchis nato. Fridericus Matthæum II. habuit patrem, hic Fridericum I. atque ita deinceps alii alios, ne ad vltimos regrediamur, quod hic nostri instituti non est.

Anno Christi 1434. VI. Cal. Sept. Ex ms. Adolphi Vicarij Carthusiæ Treuirensis & qui Margarita fuit ab sacris. franc. Rosier. de stemmat. Lotharing. t. 5. histor. capital. p. 304. ex Palatinorum stirpe.

Nam genus et proauos, et quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto.

Margaretha in Palatio et regiâ à teneris educta, honestè quidem, sed parum modestè, vti sæpe solent Principum liberi, auro, gemmis, ostro fulgere, et pictos phasianos psittacosque æmulari, pauonumque oculos in cyclade circumferre. Sed hos cultus Margaretham ex more potius, quàm amore gestasse docuit sequens ætas, quæ natura probam et sanctam eius indolem sæculo aperuit. Et fuit hæc Principis fœlicitas, quod in optimos vitæ, morum, et virtutis magistros inciderit, qui ingenium eius ad omnes honestatis et pietatis laudem excolerent. Nupta quippe optimo Principi in Domum et familiam Lotharingiæ religiosissimam est deducta, vbi S. Brunonis (cuius id loci contubernia magnam passim sanctitatis laudem collegerant) sodalibus familiariter vsa, plurimum eorum consuetudine in virtutis cultu promouit. Conscripserat vnus quidam ex eorum coetu libellum ab amoenis hortorum, vt solet, rosariis ductâ metaphorâ inscriptum, quo Christi Dei, Deique Matris res olim in terris gestas complexus est. Hunc nacta Princeps cœpit assiduè voluere, menteque identidem reuoluere, ex eoque intimis sensibus affici, tantumque intra breue tempus proficere, vti Margaretha vix Margaretham agnosceret. Sementis nempe in fertili et opimo solo facta, lætam mox et vberem segetem extulit. Non ita prius luxu pictarum vestium oculos intuentium stringerat, vti post virtutum luminibus tanquam radiis è sanctissima vita exemplo promicantibus afficit,

Jam fama

De B. Margaretha.

Jam fama sanctitatis eius longè lateque dilata celebrabat ipsius nomen. Jam numen cæleste per illam prodigia edere, et res mirandas efficere, ut parem nullum suo sæculo habere crederetur. Sic enim Adolphus Scriptor eius, qui, quò simplicior, hoc verior.

Et tandem in brevi tempore est facta tantæ sanctitatis, quod non putabatur eidem in Sanctitate similis, vel comparabilis, inter omnes in partibus illis cuiuscumque etiam essent status, sexus, religionis, vel conditionis, quod etiam probant valdè multa facta sancta mirabilia, quæ Jesus publicè operatus est per illam ex suâ singulari gratiâ, et misericordiâ in vitâ suâ, de quibus testimonium potest ferre evidentissimum totus Lotharingiæ Ducatus non solum, suique mariti dominia vicina, aliena adiacentia, tam adversariorum quam amicorum: quorum scilicet adversariorum solet in huiusmodi reputari testimonium validissimum.

Exponit deinde quam atrocia bella adversus septem capitalia vitia susceperit. Securim nempe ad radices egerat; nemo quippe virtutes inserit, qui non prius vitia extirpavit. Et ut solida cælestis ædificij fundamenta iaceret, altiusque inde molem tolleret, in se ipsam maximè descendit, opereque tanto se demisit, uti superbia erubesceret, nec auderet cum illâ in arenam Humilitatis descendere. Hæc illius modestia mox traxit secum Charitatem in omnes, quâ omnem à pectore suo livoris tumorem, saniem, et invidiam exclusit. Nec lenitas indignationi, nec patientia iracundiæ locum dabat, nec somnum in divinis excubiis, nec inertiam, et desidiam in laboribus unquam obrepere, sibi passa est. Sordidissimum auri studium, et vesanum pecuniæ amorem adeo contempsit, ut quò plus haberet, hoc plus in miseros, et afflictos erogaret, ipsaque sæpius volens egeret, ut esset unde egentibus largiretur. Ventrem tam obedientem menti beneque moratum habuit, uti nec delicias esuriret, nec fabulum, aut vilia fabrorum prandia recusaret. Pudor honestus, et Castimonia ~~tanta~~ in eâ fuere, uti præter ius thori, cum virginibus et cælibibus certaret. Nihil agimus verbis, nisi mores, et vitam eius per exempla proponamus. Demissionem eius et liberalitatem misericordiæ, et officiis omnibus charitatis iunctam ex hoc disces, quod olim in Magdalenâ, postea Pulcheriâ, dein Elisabethâ, Hedwige, Catharinâ quæ Senas nobilitavit, cognovisti. Ingressa hæc nosocomium cum unâ alterave pedisequâ, spectante, horrente, et obstupescente Adolpho, qui sacra procurare Margarethæ solebat, fœda miserorum ulcera tractare, scatentem ex corpore saniem exprimere, olentes vomicas, putrescentes abscessus, horridas gangranas, serpentes phagedænas, ~~[illegible]~~ scabiem et impetigines, sordidos lichenes, mentagras, immedicabilem elephantiam abstergere, aliasque id genus pestes corporis curare, obligare, consanare, permulcere lymphâ inquinata pauperum vestigia; siccare non linteo, non panno, non telâ, sed passo promissoque capillo. Quid vis

Amplius?

De B. Margaretha.

Amplius! potuit se plus demittere, potuit vltra descendere, quæ ad infirmorum vilissimorumque vestigia iacuit? Lauit Magdalena plantas non mendici, non apostoli, sed Christi. Nihil humile potuit videri quod supremo Numini præstabatur. Hæc regia Imperatoris filia, Principis nobilissimi vxor, aulicis munditiis, et deliciis innutrita sordes mendicantium, putores morientium, fœtores putrescentium, qui spectantium non oculos tantum, sed stomachos etiam auerterunt, et euerterunt, regiis manibus secura contrectauit, naribus hausit, oculis curiose lustrauit, et quo purulenta magis olebant vlcera, hoc inde gratior virtutis odor fundebatur. Et quid miramur ab hac illos, quibus nulla medicantium ars, ingenium nullum, nulla disciplina medicari potuit, diuinitus curatos, et sanatos esse! Audi horum testem et spectatorem Adolphum, cuius pia verba, quamuis parum culta ad fidem subscribam.

Adolphus de Essen, cf. K.J. Klinkhammer, A. v. Essen p. 117 et seq.

Multo tamen, inquit, mirabiliora fuerant ipsius exercitia circa infirmorum etiam valde horribilium curam, et medicamina et consolamina in tantum etiam, quod pedisequæ suæ nobiles, et etiam aliæ famulæ non nobiles, exceptâ vnâ solâ Luciâ appellatâ, horrebant videre talia, nec volebant iuuare ad lauandum vulnera et loca siue membra infirmorum debilia præcipue quando erant nimis horrida et fœtida. Verum est quod ipsa domina mihi fuit confessa, quod aliquando vulnera infirmorum siue infirmarum erant omnia ita horrida et fœtida, quod ipsa ex solâ apertione siue vulnerum detectione, et inspectione (nisi Jesus ipsam adiuuisset) euacuasset omnia quæ erant in suo corpore: sed reducens ad memoriam, quomodo Catharina de Senis viriliter talem aliquando tentationem vicit, ipsa viriliter erexit se contra se, et Dominum Jesum in adiutorium inuocauit, et citò tentatio illa cessauit.

Et ego ipse confiteor peccatum, et fœmineum cor meum in comparatione ad cor virile huius Dominæ prædictum. Ego delectabar bene à longo stare et aspicere, quomodo illa mulier sancta circa tales infirmos se haberet, et quomodo ageret, sed non audebam imò horrebam valde, illas immunditias, spurcitias fœtidas et horribilissimas videre, quantominus tangere, aut cum illâ sanctâ muliere mundare, lauare, siue ligare! Et ergo sicuti etiam dignum fuit, ego nullum infirmum talem potui curare, siue sanare, quemadmodum et ipsa tantos, ac tot infirmos à variis plagis et infirmitatibus Jesu et Mariâ cooperantibus, sanauit, quod eorum numerus soli Deo est cognitus, de diuersis enim mundi partibus infirmi pro sanatione ad ipsam quotidie confluebant, et sicut ad probaticam piscinam iacebant languentes, expectantes per Angelum aquæ motum: sic isti iacebant ante dictæ Dominæ cameram curiæ suæ expectantes, quando domina prædicta de Ecclesiâ veniret, et tanquam Angelus

Domini.

De B. Margaretha.

Domini ipsorum infirma membra manu suâ benedictâ tangeret et benediceret, et sic ipsi sanitatem reciperent, sicuti factum est sæpissimè, quod vel statim erant sanati, vel primò mundati, et ligati, et post citò sanati. Vnde non audivi unquam aliquos infirmos pro sanatione ipsorum ad ipsam venientes vel adductos non fuisse plenè sanatos, vel benè consolatos quacumque etiam infirmitate detentos: Exceptis tantum tribus generibus infirmorum, quibus non potuit adhibere remedium, quamvis ipsa sæpe libenter fecisset, si potuisset. Primi erant infirmi, qui in ipsius curatione fidem firmam non habebant. Secundi, qui licet quidem in hoc fidem habebant, tamen magis in medicorum sæcularium medicinâ corporali, quàm in dictæ Dominæ medicinâ spirituali confidebant. Tertii erant, qui in aliquo gravi iacebant peccato, quod relinquere ex toto corde non volebant. Omnes et in quantum tales, et communiter non poterant per ipsam sanari, de quibus singulis possem ponere exempla notoria in illâ patriâ, sed non expedit brevitatis gratiâ.

Subiungit deinde de valetudinario seu xenodochio post mortem Caroli in usum ægrorum, et peregrinorum erecto.

Post mortem verò Domini Caroli Ducis mariti legitimi præfatæ Dominæ et devotissimæ mulieris, hoc quod ipsa diu me sciente in proposito et desiderio habuerat; ut si aliquando humanum tale contingeret, quod ipsa non optaret, tunc ipsa vidua maneret, et soli dilectissimo suo sponso Iesu Christo perpetuò adhæreret, sibique in suis membris, pauperibus, egenis, infirmis, et peregrinis usque in finem vitæ suæ, sicuti Sancta Elisabeth humillimè serviret. Hoc ipsa tunc impleverat quia in quodam castello et oppido Eneil appellato, sibi in dotem specialiter deputato, de suâ dote de novo erexerat unum novum et solemne hospitale, in quo ipsa proposuerat, et optaverat usque in finem vitæ suæ pauperibus et infirmis, egenis et peregrinis, de suâ dote, et proprio corpore humillimè ministrare, sicut ipsa solebat adhuc marito suo vivente sæpissimè facere, quando poterat, sibi tempus, et locus ad hoc vacare: pedes pauperum, et peregrinorum de publicâ viâ collectorum manibus propriis lavando, crinibus, et capillis capitis sui resolutis tergendo, humillimè osculando, cibaria ad saturitatem, et pecunias per manus proprias devotissimè condonando. Cui facto ego aliquando interfui, et pelvem ad lotionem talem tenui. Intantum pervolavit fama de eiusdem mulieris sanctitate mirabili, et præcipuâ, ad diversa mundi Regna, quod multi magni Principes, Pontifices, Domini, et Prælati sæculares, et regulares, subditi, Clerici, et Laici, viri, et mulieres, et maximè Religiosi desiderabant ipsius faciem intueri, et ipsius colloquio potiri. Et hac de causâ venerunt sæpissimè ad ipsam plurimi, magni, et parvi, quorum ego multos sæpè ibidem vidi, qui omnes sive cum

Ipsa loquerentur.

De B. Margarita.

Ipsâ loquerentur, sive ipsius faciem et conversationem tantum intuerentur, cum ædificatione et consolatione magnâ redierunt ad sua. Hæc Adolphus.

Familiam verò suam et gynaceum ac parthenona sic instituit, ut Penelopes labores vinceret, nullam passa est occionem domi desidere, non ignara otium omnium vitiorum esse seminarium, tam ex se natas Principes Virgines, quam famulas vel lanæ admovit, vel telas acu pingendæ. Sanctioribus diebus secundum epulas è literis et libris sacris, vel ipsa ancillis prælegit, vel ab aliis prælegi curavit, quoad signa ad vespertinas preces canerent, tum etiam ad templum reditabant. Genium suum ita defraudavit, uti, cum mensæ regio luxu inferrentur, ipsa propè nihil de illis degustaret, sed per ancillas viles betas, aut olusculа, aliasque plebeias dapes fieri curaret, quas clam in conclavi sumpsit.

Diem porrò ita partita est, ut nullum esset momentum, quod non vel animi, vel corporis exercitationibus impertiretur. Simul enim manè cubitu surrexit, in genua deiecta, auctori servatorique vitæ Christo debitas meminit grates, quod noctem salvam sanctamque transegisset, supplexque rogavit, ut eius beneficio diem perinde sine labe noxâque in supremi numinis obsequiis transigeret. Proinde omnia, dicta, facta, consulta, velut in sacrificium, et victimam obtulit, ut quicquid ageret, diceret, faceret, in laudem venerationem, et cultum dei cederet. Si quid offenderet, peccaret, vel si quâ imprudenti culpâ obreperet, nolle factum, sed infectum, indictumque, perinde ac si ipse vellet Deus. Primâ luce simul atque ædium sacrarum claustra reserabantur, aut signa matutinis precibus dabantur, ipsa uno comitata famulo, serviaque unicâ, ne matutinum reliquæ turbæ aulicæ somnum abrumperet, ad templum properabat, sacrorumque hominum voces votis suis etiam antevertebat, totumque tempus antemeridianum in laudibus divinis ponebat, nisi Dominus maritus quandoque intercederet, cui studiosè prout ratio, status, ac leges connubiales præscribunt, servire solebat. Pomeridianas horas rei domesticæ procurandæ familiæ, et emendandæ, pauperumque usibus tribuebat. Ubi nox appetiit, secum ipsa in consilium ire, rationes vitæ ab se reposcere, actaque omnia et singula propè verba et sensa ad tribunal conscientiæ exigere, petere veniam, si quid adversus destinata matutini voti designasset, idque eodem die, si quid gravius incidisset, et copia religiosi medici esset, aperiebat; sin ille abesset, primo sequentis diei diluculo, in aures sacerdotis querelas suarum offensarum effundebat, adeoque penè quotidie mentem confessione repurgabat. Absente coniuge corpus vel asperâ veste vexabat, vel aculeato stellatoque et nodoso flagro atrociter mulctabat. Ad sacram synaxin incredibili desiderio studioque ferebatur,

Quam octavo

De B. Margarita.

Quam octauo quoque die religiosissimè sumpsit, nisi dies festus inter hebdomadam occurreret, quo iterabat pietatem. faciebat olim, qui illi ab sacris erat, qui et hoc ipsum in memoriam retulit, in priuato sacratio, cum Religiosissima Princeps cælesti contacta desiderio, cuperet è manibus sui Sacerdotis cælestem Agnum capere, quem cum ille dexterâ gestaret, se sequè ad impertiendum Christum ad Dominam verteret, attonitus vultum eius alias pallentem, cælesti fulgore radiantem, claraque luce circumfusum, et tanquam meridiano Sole refulgentem vidit. Interim stupore defixus animaduertit, sibi Eucharistiam deesse, ratus eam sibi per repentinum insolitati spectaculi terrorem è manibus excidisse. Sollicitus ergo circumspicit, quæritque oculis in omnes partes circumlatis cælestem panem, cum illa in faciem profusa non dubiam dedit percepti Sacramenti significationem, quod procul dubio ab eo quem accepit, sibi impertitum sumpsit. Sed et sæpius cum ad diuinissimum hoc Christi mysterium accessit, à se recessit, et diuinis mentibus sociata cælo propior, quàm terræ fuit.

Illud verò non minus ad posteritatis memoriam est illustre, lachrymis et votis Margaretha factum esse, vt omnis hostium vis passim ingruentium profligaretur. Ita Carolus Margarethæ coniunx vxoris precibus armatus, nunquam ab hoste non victor est reuersus. Ita Barei regulum, et montanum Dynastam, et Philippum nassauiensem, Comitesque opibus, et viribus præpollentes, et in perniciem Caroli coniuratos, Saruerdensem, Salmianum, virosque illustres Bolchemium, Emmericum, Comerchensem magistrum equitum Principis Aurelianensis Lucenburgi prætorem, aliósque agrum Lotharingicum bello vastantes, prælio vicit. Solitabat Carolus in multam lucem dormire, contra quam Poëtarum numen monet.

ἔχρὴ παννύχον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα

Homerus. Non est viro consulto totam noctem dormiendum.

Jam hostis vastato agro spem ipsius Caroli Principis occupandi conceperat, quem Nancei degentem infirmo, si cum hostium copiis componeretur præsidio, defensum facilè occupari posse credebat. Et si rem humanis consiliis expendas, erat Carolus multò inferior numero militum alteroque tanto superabat hostis. Ergo perinde atque si iam vicisset, mittit Nanceium fecialem ad Carolum, qui nunciaret Prætorem Ludouici Luzenburgensem cum validâ manu ad proximum diem veneris venturum, éque lecto benè manè excitaturum, vti lautum ipsi prandium epulúmque adornaret. Perculit is nuncius nobilitatem Lotharingicam, quæ tum stipabat Carolum, magis quàm ipsum Principem, quem

Animus.

De B. Margarita.

Animus, et regii Spiritus nunquam destituêre. Iussitque suos bono esse animo, non sibi vires, et Suppetias è cælo defuturas, retundendam esse hostium Superbiam. Vbi dies dicta prælio illuxit, egresso cum suis cohortibus Carolo, illa adversus hostem pro viro deprecaturus in Sacellum se abdidit, armisque cælestibus pro Carolo depugnavit. Interim commissa pugna: victus hostis, et capti Principes, ducesque Belli cum Prætore suo in arcem deducti, tantéque accepti prandérunt, ne falsò præsensisse victoriam crederentur. Secundum epulum in nervum ducti tamdiu custodiis detenti sunt, donec multo auro vitam libertatémque redemptam infælices recuperarent. Sed hostis publicitùs asseveravit se non ab Carolo, sed Caroli vxore devictos, cuìus ante Caroli signa, et aciem consistentis formidandum, et supra hominis modum ardentem vultum non potuerint sustinere, quam rem his verbis franciscus Roserius publicus Scriptor testatur. Ad hæc, inquit, Ludovicum Aureliæ Ducem (qui Lutetiæ naturæ solùit debitum) aperto vicit marte, in ipsoque conflictu Comitem à Nassau illius magistrum militum cepit. Cuius facti vt verior notitia intelligatur, scire necessum est Ludovicum tunc Imperium affectantem plures in sui studium pellexisse, huncque Comitem eundem Luxelburgum præmisisse, vt antequam vlterius solueret, Carolum Ducem cum civibus montensibus ad ineundam pugnam indueeret. Hic facialem nancium misit, qui die Veneris proximiori convivium à Duce sibi præparari quæreret. Dux accepto nuncio, reque dissimulatâ, quia nobilibus quos tunc apud se frequentiores habebat, iam timor incussus videbatur, suos bono animo esse præcipit. Itaque hoste iam adventante, ille vrbem egressus, equitum magistri audaciam ferro retundendam censuit. Interim Ducissa precibus sacris indulgebat, vt magis cælestis numinis iram placaret. Tantum vero erga superos profecit, vt belli eventus successerit prosperrimus. Lotharingi enim superiores effecti, franco fuso, fugatoque, ac Ducibus captis, cum Dei nutu Margaretham vultu splendidissimo suam aciem præcedere crederent, sicuti prædixerant, in convivio propinarunt. Sed carius persoluto, plus æris pro redimendâ captivitate pensitatum est.

Tom. 4. hist. capital. 82. p. 304.

Adolphus diversis temporibus bis pugnatum, et beneficio Margarethæ victoriam reportatam tradit. Primam iam descripsimus; alteram ipse adiicit. Contigit, inquit, quadam aliâ vice, quod quidam alii valdè potentes ex inimicis Domini prædicti, congregato exercitu forti armatorum, intravuerunt ipsius terram, et Ducatum ad faciendum rapinas, et incendia. Quod cum prædicta Domina Ducissa audisset, ipsa ad Iesum suum confugit, et pro conservatione suorum contradictos

Adversarios.

De B. Margarita.

Aduersarios egredientium in campum fideliter orauit. Et factum est, quod cum aduersarii prædicti, illos qui erant ex parte Ducis prædicti vidissent, quamuis multo pauciores, quàm ipsi fuissent, dorsa ipsis verterunt, et quàm citiùs potuerunt, fugerunt. A suis verò valdè arguti, et increpati, quare sic turpiter fugissent, cum ipsi tamen aliis contra se venientibus, multò plures, et fortiores fuissent; responderunt (vt tunc communis erat fama) quod ipsi non fugissent propter armatos contra se venientes, sed quia vidissent cum illis Dominam Ducissam Lotharingiæ ita terribilem faciem ipsius sustinere non potuissent. Ego postea ad Dominam veniens, et ipsam vtrum tunc in campo fuisset inquirens, respondit mihi: nequaquàm fui, nec quod aliquid tale quod non deceret fœminas, faceret vnquam. Me autem vlteriùs inquirente, vbi tunc fuisset, et quid tunc egisset, respondit, quod cum audisset de aduentu inimicorum in Ducatum, suum intrauit secretarium, et confugiens ad Jesum, totum suum in aduersitatibus refugium, ipsum rogauit suppliciter, et fiducialiter pro custodiâ, defensione, et conseruatione suorum. Me autem vltra rogante, vtrumne rogasset, an rogare soleret pro morte, vel pro captiuatione, siue destructione inimicorum: respondit quod à tempore quo cœpit Jesum, et ipsius vitam, atque doctrinam in Rosario, et Euangelio descriptam clariùs cognoscere, nunquam audebat aliquid tale petere: quia non inuenit Jesum hic vnquàm petiuisse. Et cum hoc quando ipsa pro conseruatione et defensione Domini sui, et populi sui petiit, semper diuinæ voluntati hoc ipsum commisit: addens se in omni petitione suâ, quantumcumque videbatur iusta, rationabilis, ac necessaria, exemplo Jesu in agoniâ dicere solitam, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Neque enim ipsa gaudebat de tot victoriis, quot Dominus Dux suus habuit vsque in finem vitæ suæ, ita quod circa finem vitæ suæ, quando erat tam debilis, quod non poterat pedibus suis ambulare, erat tanta pax in terrâ suâ, quod nullus ampliùs præ ipsius timore, aduersarius audebat contra ipsum mussitare. Nec hoc adscribebatur ipsius Ducis sanctitati, vel potentiæ, quæ non erat tanta, quod ipse potuisset omnia ista facere: nec ipse sibi attribuebat, sed Diuinæ gratiæ, per orationes bonorum pro ipso orantium, sicut mihi ipse personaliter confessus est quandocumque. Nec tamen volebat vxori adscribere (certè ex suâ humilitate) cuius tamen vxoris sanctitati per alios tam amicos, quàm aduersarios ista adscribebantur omnia. quæ sæpè dolebat de prosperitate Domini tantâ temporali, conquerens mihi sæpè voce gemebundâ, O pater mi dilectissime, ego timeo, et pertimesco valdè.

+

De B. Margarita.

Valdè, quod tam magna, multiplex, et tam frequens prosperitas nostra temporalis, et maximè contra inimicos nostros spirituales, et aeternales. Et Deus sciens nos in perpetuum non futuros cohaeredes suos, si fortasse aliqua bona in nobis hîc sunt inuenta, sicuti in Domino conthorali meo, multa sicuti scitis sunt bonarum virtutum exercitia, quamuis in aliis vita sua est talis, quemadmodum etiam benè scitis, quod forsitan Deus illa paucula bona nostra vult remunerare per praedicta prospera temporalia, cum sciat nos non posse habere bona sua aeternalia, propter alia mala nostra criminalia. Vnde rogo vos propter Deum, quatenus manum Omnipotentis fideliter inuocetis, et pro Domino meo, et pro me, et pro omnibus nostris instantiùs, et deuotiùs oretis, quatenus iustam suam contra nos iracundiam conuertat in misericordiam, et nos potius hîc pro peccatis nostris puniat temporaliter, quàm illîc aeternaliter, qui nunquàm legi, neque audiui esse bonum signum de aeternâ salute hominem quemcumque, etiam hîc in mundo sic consolari continuâ prosperitate.

Mortem sanctissimae matronae non descripsit Adolphus, nisi quod doceat illam vltimum spiritum in pauperum curâ, ministerio, officiis posuisse. Ex quibus aeterna praemiorum gaudia reportauit. Nancej in Aede Diui Georgij condita est cum hac Epigraphe.

Hic sita est excellentissima et potentissima Princeps Domina Margaretha Bauara, Ducissa Lotharingiae, et Marchionissa, quae obiit XXVII. Augusti Anno M. CCCC. XXXIV. è gallico.